

lus utens illa specie simul videre utrumque, scilicet subjectum, et accidens supernaturale, quia utrumque eadem specie, et eodem simplici lumine repræsentatur, non autem lumine collativo, et compositivo, id est, orto ex comparatione unius cum altero. Si vero repræsentetur res supernaturalis, non per speciem propriam sui, sed connotativam, et alienam, v. g. per speciem alicujus effectus aut signi quo manifestatur, tunc talis effectus etiam dicere potest ordinem ad aliquod subjectum, cui convenire debet tale accidens; et sic per talem speciem sine ulla compositione per simplicem intuitum poterit repræsentari effectus, res supernaturalis connotative ad effectum, et subjectum talis rei supernaturalis, ut dicit ordinem aliquem ad eundem effectum: ut v. g. si videt miraculum ex quo tamquam ex effectu colligit divinitatem Christi, seu mysterium incarnationis, ex eodem intelligit subjectum, cui convenit tale mysterium, scilicet illum hominem qui dicitur Christus. Quod si tandem aliquis velit gratiam vel accidens supernaturale repræsentari, vel proprie, vel connotative per speciem seorsum a subjecto, et ut attribuat Angelus tale accidens subjecto, debere conjungere duas species, et hoc esse componere, dico quod adhuc in tali casu non datur compositio, licet detur conjunctio specierum, et utraque specie utatur Angelus, quia uti multis speciebus aut conjungere illas ad producendum unum conceptum non semper est componere, et dividere: requiritur enim ad compositionem, ut diximus, quod utatur multis speciebus non manifestantibus convenientiam, vel disconvenientiam extremorum unico intuitu, et lumine simplici penetrante, et comprehendente illam convenientiam, licet ex concursu plurium

specierum id procedat, sed manifestantibus illam convenientiam ex vi comparationis, et conferentiæ unius extremi cum alio, ita quod non solum composita extrema cognoscat, sed quod ipsa compositio, et comparatio det manifestationem enuntiationis; hoc est formaliter componere, et dividere.

XXX. Ad secundum respondetur, quod divisio quæ est propositio negativa, dupliciter potest formari. Uno modo cum cognitione distincta utriusque extremi, scilicet tam subjecti, quam prædicati negati; v. g. si dicitur: Petrus non est lapis, quod tam Petrum quam lapidem distincte, et quidditative intelligat, licet enim non sit necessarium ad formandam propositionem illam negativam, quidditative utrumque extremum cognoscere, potest tamen sic cognoscere extrema, et de eis ita cognitio negationem formare. Alio modo potest formari divisio, seu propositio negativa sine cognitione distincta utriusque extremi, sed solum cum cognitione repugnantie unius extremi ad aliud, ita quod illud aliud extremum non cognoscatur quomodo, vel quid in se sit, sed in quantum alteri repugnans, seu in quantum exclusum, et negatum, non in quantum in se suis prædicatis constituitur. Ad formandum primo modo propositionem indiget quidem Angelus uti pluribus speciebus conjunctis, quibus repræsentetur illa negatio extremorum, quia non solum repræsentatur negatio, sed etiam utriusque positiva quidditas, super quam cadat negatio: sed tamen hoc non fit per compositionem, quia duplex illa species simplici repræsentatione, et intuitu repræsentat suas quidditates, non ex vi collationis, et comparationis. Negationem vero unius de altera quælibet illarum specierum sufficienter repræsentat, non ex comparatione,

et collatione unius ad alteram dignoscitur, quia in ipsa quidditatis positione alterius negatio est imbibita. At vero ad formandam propositionem secundo modo, non requiritur duplicis speciei concursus, sed per eandem speciem qua repræsentatur Angelo aliquod extremum, repræsentatur in illo quidditatis ei convenit, vel removetur ab eo, ut docet S. Thomas in hac quæstione LVIII, art. IV ad I; intelligentia enim quidditatis rei in Angelo æquivaleret nostræ compositioni, et divisioni, qua attribui-mus aliquid, vel removemus ab ea. Quod intelligitur de omni eo quod removetur, seu negatur ab aliquo in quantum negatur, et removetur. Nam cognita per speciem quidditative hominis, et penetrata natura ejus, hoc ipso cognoscitur in vi talis naturæ, quod ibi non est alterius rei prædicatum, quam hominis; et sic videtur leo, et lapis, et equus non absolute, et quidditative in se, sed prout non sunt homo, seu prout excluduntur ab homine: viso enim quid sit homo, etiam videtur quid non sit, seu quod ibi nihil aliud est, prout negatio fundatur in affirmatione; et sic non indiget Angelus componere cum alia specie, sed penetrare quidditatem unius, ut videat quid non sit illa.

XXXI. Quod vero dicitur, quoties utitur intellectus duplici conceptu, vel specie, hoc ipso componere, jam dictum est, compositionem aliquid amplius dicere, nempe quod ipsa comparatio, et compositio sit ratio videndi, et cognoscendi connexionem, seu convenientiam, aut disconvenientiam unius ad alterum; et sic non sufficit adunare duplicem speciem, si utraque solum elicitur cognitio comprehensiva, et penetrativa alicujus convenientiæ, et comparationis, non vero sola ipsa comparatio est ratio cognoscendi illa extrema, et convenientiam eorum.

THEOLOGIA IV.

Unde si ita comprehensive penetratur aliqua veritas ex concursu duarum specierum, conceptus erit unus, quia si unus conceptus non sufficit exprimere totum illud, comprehensio non erit una; atque adeo neque comprehensio erit. Sed quia ille conceptus non formatur ex vi comparationis, et conferentiæ, sed ex vi penetrationis simplicis, in qua etiam comparatio ipsa attingitur, ideo non est ille conceptus compositio, et divisio formaliter, licet totam compositionem intelligat simplici intuitu.

Denique, ad quod dicitur de veritate, et falsitate, jam dictum est, quod invenitur in compositione etiam virtuali, et eminenti, et non solum in formali, quia illa simplex penetratio quidditatis æquivaleret compositioni, et iudicio, quod nos per compositionem formalem facimus, id est, per comparationem, et compositionem, quæ est ratio sic cognoscendi enuntiationem illam; virtualis vero est quæ ex parte objecti cognoscit compositionem, modus vero cognoscendi non est ex vi comparationis, sed simplici penetratione: et specialiter quomodo ibi sit falsitas explicatum est supra.

DUO COROLLARIA.

Ultimo, ex dictis collige duo.

XXXII. Primum est, in Angelis respectu cognitionis naturalis nullus habitus acquisitus, vel ingenuus est ponendus præter species intelligibiles tam respectu veritatum quas evidenter cognoscunt, quam quas cognoscunt conjecturaliter, aut incerto. Respectu autem supernaturalium indiget lumine superaddito per modum habitus præter species intelligibiles. Et licet in hoc sint variorum sententiæ auctorum, tamen hæc videtur conformior menti D. Tho-

mæquam sequitur Cajetanus 1-2, q. 1, art. vi, ubi D. Thomas docet quod habitus intellectuales substantiæ separatæ non sunt similes his qui sunt in nobis habitibus, sed magis sunt similes simplicibus, et immaterialibus speciebus, quas continet in se ipsas. Et infra addit quod in quantum Angelus est in potentia, indiget perfici habitualiter per aliquas species intelligibiles, ad operationem propriam, sed in quantum est in actu per essentiam suam, potest aliqua intelligere, ad minus seipsum, etc. Nec ibi ponit alios habitus proprie dictos præter tales species, sed solum impugnat sententiam eorum, qui excluderunt ab Angelis habitum, et omne accidens, putantes per seipsum sufficere Angelum ad intelligendum omnia: cum tamen respectu rerum naturalium indigeat speciebus superadditis habitualiter disponentibus, qui solum sunt habitus repræsentativi: in supernaturalibus autem indigent non solum habitu, seu qualitate repræsentativa, sed etiam habitu operativo, seu lumine superaddito virtuti propriæ.

Ratio hujus est, quia respectu supernaturalium indiget Angelus non solum repræsentatione objecti, sed etiam elevatione virtutis, eo quod virtus ejus est improportionata ad eliciendum actum supernaturalem qui est superioris ordinis. Unde in ratione virtutis indiget fortificari, et determinari aliquo habitu operativo, et elevativo. Cæterum respectu veritatum naturalium Angelus habet virtutem ita efficacem quod posita repræsentatione suæ speciei, statim comprehendit totum quod illi convenit sine novo lumine et virtute, sive necessario et demonstrative, sive contingenter et conjecturaliter unumquodque in suo ordine, et linea: ergo nullam sentit difficultatem in penetrandis,

et intelligendis hujusmodi veritatibus, sed per simplicem intuitum ex virtute suæ potentiæ ea intelligit. Ergo superfluit ibi habitus, quia potentia ex se est sufficienter in actu ad penetrandum omnes illas veritates. Neque in hoc est aliqua differentia inter veritates, quæ in principiis continentur magis remote, vel magis proxime, quæ continentur, necessario, vel probabiliter; nam cum Angelus procedat comprehensive circa objecta repræsentata, primo intuitu attingit quidquid ad talem rem pertinet; atque adeo tanta facilitate videt in principiis conclusiones proximas, quam remotas, quia comprehensio totum hoc postulat, seu modus iste intelligendo comprehensive. Et eodem modo intelligit quædam contineri in illis objectis necessario, quædam probabiliter: unde ad intelligendum aliquo conjecturaliter non indiget alio lumine, sed illo ipso quo rem penetrat, videt aliqua contingentes solum contineri in tali re, et cum ea connecti, quod sufficit ut conjecturaliter ea cognoscat, nec amplius in illa cognitione meliorari potest, et perfici per habitum aliquem naturalem a se acquisitum.

XXXIII. Secundo colligitur bene stare quod intellectus noster in compositione, et divisione ferenda producat unum conceptum, qui entitative sit unus, et secundum qualitatem simplicem formatus, et tamen vere dicatur componere, et dividere. Non eo modo quo Vasquez hic disputatione cccxiii, cap. iii impugnavit aliquorum, quos ipse refert, sententiam, quod compositio, et divisio, et syllogismus in nobis est una qualitas composita ex pluribus per physicam, et realem unionem, sicut ex duabus aquis fit una aqua. Hoc enim nos nullo modo dicimus, cum qualitates illæ seu conceptus non se habeant ut forma, et mate-

ria, vel ut partes integrales quæ componant unum totum; sed dicimus præcedere quidem in prima, et simplici operatione plures conceptus, postea vero in secunda non illos uniri physice, aut novos respectus accipere quibus respective jungantur, sed produci unum conceptum de novo, qui sit qualitas quædam una, et simplex, repræsentans illa plura quæ in simplicibus conceptibus distincta erant per modum unius, seu uniti, et comparati inter se; sed tamen recte vocari compositionem, et divisionem, quia illa plura repræsentat, et manifestat uniri, et conjungi inter se, non ex vi penetrationis alicujus extre-

mi, sed ex vi comparisonis, et conferentiæ unius cum altero, ex quo nascitur manifestatio convenientiæ aut disconvenientiæ extremorum. Et quia hæc manifestatio ex collatione, et comparatione plurium oritur, in eaque fundatur, dicitur formalissime compositio aut divisio in ratione formali manifestationis, et luminis, licet in entitate conceptus compositio non sit physica aut respectiva, seu ordine tantum una, sed repræsentativa, quia qualitas illa sub una comparatione, et collatione plura repræsentat, ut ex D. Thoma late tradidimus supra disp. ii, articulo ultimo et aliis locis.